



HIERONYMI
CARDANI
MEDICINÆ
ENCOMIUM.



EMO, ut opinor, facilius artem aliquam laudarit, quam qui in argumentum inciderit per se abundans, splendidum atque illustre: nemo melius, quam qui quod laudare proposuit, bene nouit: nemo uerius, quam qui tractauerit exercueritque: Ob hæc omnia artem medicam & facile, & bene, ac uerè me laudare posse spero. Quòd si modò neque eloquentiâ, neque facundiâ illâ polleam, quæ tanto operi sit necessaria, nec colores illos ac fucos, qui à Rhetoribus addi solent, adiiciam: meminerint qui legent, tantò formosiorẽ futuram orationem nostram his ornatis externo apparatu, quantò naturalis pulchritudo commentitiâ atque fucatâ præstantior est. Etenim cum oratio per se clara & splendida futura sit ob artis excellentiam:

Ornari res ipsa negat contenta doceri.

Nam seu ad Deos artis origo referatur, autores fuisse existimantur pater & filius, Apollo scilicet & Æsculapius, si Ouidio credimus, dicenti:

Inuentum medicina meum est: opifexque per orbem.

Dicor, & herbarum subiecta potentia nobis.

Seu ad quoscunque alios prima est inter omnes, & cum ipso humanitatis ortu initium cœpit: nam nihil antiquius esse potuit ea causa, propter quam inuenta est, scilicet morbis incommodisque mortalium: non nitam rationibus ut ostendam quam antiquus fuerit Æsculapius? quam uetus prolapia Hippocratis? nam metuo ne potius fabulosa esse illa dicatis, quam de ueritate dubitetis. Itaque his omissis, quæ minus necessaria sunt negotio nostro, quam dubia, ad ea quæ illiûs præstantiam ostendunt, quãquam mortalibus optanda sit, transeamus. Ea uerò in triplici genere collocanda uidentur, scilicet utilitatis, pulchritudinis, atque nobilitatis. Utilitatis duplex mihi genus esse uidetur: tum ut humano generi, tum ipsis qui eam exercent, maximum afferat emolumentum. Iphis quidem mortalibus tantum certè affert, ut neque re ipsa, neque exemplo vlla alia ars possit ei comparari. Quid enim maius homini contingere potest quam morientes ad vitam reuocare? quod fecisse cum plurimos medicos constet, etiam mortuos suscitasse quosdam prædicant. Æsculapium enim & Hyppolitum, & Tyndaridem à mortuis ad vitam, tum Æsclepiadem clarum medicum quendam à rogo reuocasse referunt. Quinetiam alios maius quid morte passos, ut dæmonio malo obsessos, resolutos, hydropicos, carcinomate laborantes, suspiriosos calculosos, tabescentes, luxatos, leprosos, cæcos, surdos, obliuiosos, claudos, syderatos sanasse melius est, & ipsa quotidiana experientia frequens. Dij quidem hac in parte sola tyrannis potentiores sunt, quod cum tyranni solum obesse possint, dij ipsi etiam